

V C  
3524



h.

2

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1





DE  
PRINCIPIS OPTIMI MAXIMI SENECTUTE  
BONA

PANEGYRICUS,

IN  
MEMORIAM NATALIS NONI ET SEXAGESIMI  
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,

D<sup>n</sup>. JOHANNIS GEORGII,  
DUCIS SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ  
ET MONTIUM, SACRI ROMANI IMPERII  
ARCHIMARSCHALLI ET ELECTO-  
RIS SENIORIS, LANDGRAVII THURNGIÆ, MAR-  
CHIONIS MISNIÆ, SUPERIORIS AC INFERIO-  
RIS LUSATIÆ, BURGRAVII MAGDEBURGENSIS, CO-  
MITIS DE MARCA ET RAVENSBURG, DYNASTÆ  
IN RAVENSTEIN, DOMINI AC ELECTORIS  
SUI CLEMENTISSIMI,

DIE MARTII MENSIS SEXTO,  
HORA DECIMA MATUTINA,  
IN

COLLEGIO PRINCIPUM MAJORI,  
PRÆSENTE AC ADEMIA LIPSIENSI UNIVERSA,  
HUMILLIME JUREQVE MERITISSIMO  
ADORNATUS

A  
DANIELE HEINRICI, S. S. THEOLOGIÆ  
DOCTORE ET PROFESSORE PUBLICO.

M. DC. LIII.

LIPSIÆ, Excudebat QVIRINUS Bauch.





DE  
 PRINCIPIS OPTIMI MAXIMI SENECTANTE  
 ROMA  
 PANEGYRICUS

IN  
 MEMORIAM NATALIS NOMI ET SEXAGESIMI  
 ANNIVERSARII ET ROTUNDISSIMI PRINCIPIS DOMINI  
 D. JOHANNIS GEORGI  
 DUCIS SAXONIE, JULIE, CLIVIE  
 ET MONTIUM SACRI ROMANI IMPERII  
 ARCHICAMERARCHI ET ELECTO-  
 RIS SENIORIS LANDGRAVI THURINGIE MAR-  
 CHIONIS MISNIE SUPERIORIS AC INFERIO-  
 RIS ERSATZBURGAVII MAGDEBURGENSIS CO-  
 MITIS DE MARCA ET RAVENBERG, DYNASTAE  
 IN AVENTINUM DOMINI AC ELECTORIS  
 SUI CLEMENTISSIMI

DIE CXXXII. JULII. 1670.  
 HORA DECIMA MARTINA.  
 IN

COLLEGIO PRINCIPUM MAJORI  
 PRAESIDE AC ACADEMIAE PRAESIDENTI UNIVERSITATIS  
 HUMBOLDTI HUBERGO MERITISSIMO  
 ADOXNATES

DANIEL HEINRICI, S. THEOLOGICAE  
 DOCTOR ET PROFESSOR PUBLICO.

M. DC. LXX.  
 L. F. F. Excusum QUARIVUS Genui.







RECTOR MAGNIFICE,  
COMITES GENEROSISSIMI, PA-  
TRES ACADEMIÆ CONSCRIPTI, NOBILISSIMA AC  
STUDIOSISSIMA JUVENTVS, AUDITORES  
OMNIUM ORDINVM AC DIGNITATVM HONORATISSIMI

**N**ON summum DEI manda-  
tum, non humillima erga Principem devotio,  
sed ipsissima nostra salus debitam hanc præsen-  
tiam à nobis exigit. Quemadmodum enim  
denatò Valentinianò, omnes non Imperato-  
rem sibi, sed salutem ereptam putabant; ita na-  
tales non Electoris, sed salutis nobis sunt cele-  
brandi exoptatissimi. Felix domus, in quâ  
faustissimum ejusdem signum, Senex, reperitur. Felix familia, quæ ob  
Senum prudentiam laudatur et honoratur. Felix regio, cujus clavum  
Senes tenent sapientissimi. Felices, tenes nos, faustos, ac fortunatos,  
qui sub tutelâ ac patrocinio ELECTORIS SENIORIS vivimus be-  
nignissimo. Verè Senectus illa est venerabilis, mellifluus Ambrosius  
jam olim dicebat, quæ non canis, sed meritis albescit; ea enim est reve-  
renda canities animæ in canis cogitationibus & operibus effulgens.  
Quæ enim est verè ætas Senectutis, nisi vita immaculata, quæ non die-  
bus aut mensibus, sed seculis propagatur, cui sine fine est diurnitas, si-  
ne debilitate longævitæ. ELECTOR NOSTER SERENISSIMUS à prima  
statim ætate, non canis, sed meritis albit, animæ quæ illius illustrissimæ  
canities cogitationibus & operibus in orbem universum effulsit Ele-  
ctoralibus. Est enim perfecta & senilis ætas, ubi perfecta & senilis est  
virtus. Princeps fuit non multorum annorum, sed Elector, ut Episco-  
pus ille Mediolanensis Imperatorem Valentinianum quondam salu-  
tabat, virtutum stipendiis veteranus, & exemplo suo, quod animis cel-  
sissimis ea, quæ ab aliis maximo addiscuntur sudore, plæraqve sint infi-  
ta & ingenerata, demonstravit. Sicuti enim quibusdam terris sua est  
bonitas, priusquam subigantur, semina quæ iis mandentur; ita & qui-  
busdam illustrissimis animis bona & præclara est indoles, antequam  
excolatur. Hic ille Dux est, qui magnæ malorum undiq; ingruentium  
tempe-



tempeſtati adoleſcens adhuc occurrere auſus, tanquam ſalutare Caſtorum ſidus periclitanti adfulſit Patriæ. Hic ille Princeps eſt, qui quas fatam Eccleſiæ & Reipublicæ navem ſingulari fortitudinis ac prudentiæ exemplo non ſemel ſervavit. Hic ille Elector eſt, qui ſua ſceptra Imperatoribus, ſubditos Dominis, utriſque pacem ac ſecuritatem & reddidit & confirmavit. Senioris illius munere attollunt preſſæ hætenus leges capita, jura reſpirant, verus Dei cultus & orthodoxa religio vigent, ipſaque Imperii ſeneſtus, vel ut reddita juventute, revireſcit. Quare, Auditores, cum ad PRINCIPIS ILLIUS ELECTORIS OPTIMI MAXIMI Senectutem bonam audiendam frequentes conveneritis, rem feciſtis non tantum Scripturæ, ſed naturæ etiam ipſius legibus convenientiſſimam. Ea namque adeo æqua & juſta viſa eſt, ut etiam apud Gentes, quæ ſine Deo vixerunt in mundo, obtinuerit, ut Senes ob ætatem eſſent venerationi: & tribuerit Spiritus Sanctus feritati in hoſte, quod faciem Senis non reſpexerit, convulſæque politiæ, & ordinis turbati argumentum ex eo deduxerit, quod ſuperbiret puer in ſenem, ut vilis in honoratum, Alexandrum Macedonem, cognomento Magnum, accepimus, non niſi ab Apelle pingi, à Lyſippo ſingi voluſſe: quod obſcuriorum hominum artem, dedecoris ſibi plus, quam gloriæ, ad laturam exiſtimaret. Quod ſi quis Auditorum tam rigida ſit cenſuræ, ut neminem, niſi dignum, ad delineandam ſolummodo ELECTORIS NOSTRI SERENISSIMI Senectutem bonam admittat, præter SENIOREM IPSUM ILLUSTRISSIMUM, delineaverit nemo. Qui enim ſtylo eum reſpreſentat, umbram illius reſpreſentat, non ipſum, qualis ipſe eſt, & ut diutiſſimè ſit, humillimi vovemus. Sin omnino periculum faciendum ſit, iſti ſuſtinendo Senes potius, quam mediæ ætatis viri videantur pares. Certiſſimum enim eſt illud Viri ſuo tempore doctiſſimi, de omni ætate non juvenum, & virorum, ſed ſenum debere eſſe judicium; eorumque non omnium, ſed modeſtorum, qui que animis quoque ſenuerint. Sed quia, ſecundum non minus ſapientiſſimum Autoris libri Sapientiæ monitum, non quæ longæva eſt ſeneſtus atque numero annorum meſurata; ſed prudentia hominibus eſt canities, & vita immaculata ſenilis ætas, de SENECTUTE BONA ELECTORIS ILLIUS SENIORIS, DOMINI AC NUTRITI NOSTRI BENIGNISSIMI, ita conſtitui diſſerere, non ut Eam pro dignitate extollerem, ſed devotionem tantum erga PATREM PATRIÆ humillimam, quam mecum, Auditores, habetis communem, publicè oſtenderem. Quod priusquam expedi- am, id polliceor me daturum operam, ne veſtros animos tædia ſubire poſſint, neve, dum brevis eſſe laboro, obſcurus ſiam, aut perplexus. Que amadmodum enim numiſmatis præſtantia tantò major, quantum minore maſſa, plus valoris continet: ſic orationis illius vis, & acumen majus eſt, quæ plurima paucis ſignificat.



Si ætas quælibet habet amaritudines, suasque dulcedines; omnibus tamen ad libram actis, bona Senectus, omnibus ætatis nobis præferenda videtur: bonique Senis canities veneranda plus habet non modò autoritatis, sed etiam honestæ voluptatis, quàm omnes juvenum illecebræ. O veneranda ante alias Senectus! ô diu optata! ô ne quicquam formidata mortalibus! O felix ætas! Indignus est ad te pervenire, qui te metuit; indignus pervenisse, qui te accusat. Ego te semper optavi, nunquam timui; ego tibi adventanti, quando licuit, obviam processisti; ego te votis exoptatam & præoccupatam animo aliquando, & præsentem teneo, & amplector. O bona malorum victrix affectuum, expultrixque ultima libidinum pessimarum, tibi uni, post Deum, tribuo, quod præduris compedibus & tristi carcere relaxatis, liber tandem meique juris esse incipio. Sanctam hanc a poltrophem jure meritissimo, sub initium statim, Vobis, Auditores, in mentem revoco, cum eâ dignam Senectutem bonam, utraqve sacra pagina non tantùm judicavit; sed Vir quoque eruditissimus & Philosophus sui temporis non ignobilis, exceperit. Senem Ebræi appellant *זקן*, quod nomen sapientissimè etiam hominem denotat prudentem, cum ex canis prudentia quàm maximè elucescat. Græcis idem ille cum *ωρεσβύτης* tum *γεραγός* dicebatur, quia Senes decebat *γεραειν*, seu, honorare.

*Magna fuit cupido q. conuñti te ut cñtuo canis.*  
*Inq. suo pretioruga senilis erat.*

Quare ob honoratissimam Senum prudentiam Spartani dicuntur primi, qui Senatum suum *γεροσταν*, & Senatores *γερόντας* appellarunt. Quod etiam Romani, exactis Regibus, sunt imitati. Nec aliud Ebræi ante eos attenderunt, ubi Seniores populi electi fuerunt, qui constituerent magnum illum Senatum, sive Synagogam magnam & Synedrium LXX. virorum, qui Seniores dicebantur, & supremi omnium causarum Judices erant. Quæ etiam fuit causa, cur utrumque sacrosanctum Instrumentum nomen istud ad eos detulerit, quorum operâ Deus utitur in muneribus honoratis, seu homines, seu Angelos. Eadem autem senectus non est æqualiter præfixa, sive per experientiam, sive per revelationem: sed inæqualiter semper à Deo sapientissimo dispensata. Pro ratione temporum & generis humani propagatione, Ecclesiæ etiam constitutione, vitam hominum communiter prorogavit longius ille, in quo est fons vitæ; vel brevius arctavit. In primo mundo ante diluuium, plures supra non gentos annos vitam produxerunt, nullus autem ad millesimum usque annum pervenit: quod non sine mysterio vide-



tur factum. Quale autem illud fuerit, malim Deo relinquere,  
quam temerè definire. Quamvis vero sit simillimum, quod De-  
us ostendere voluerit, etiam hominis longævi vitam, ipsius Dei  
respectu, esse brevissimam, quæ ne quidem attingeret spatium,  
quod apud Deum æternitatis respectu, unum diem non absol-  
vit. Post diluuium ad multiplicationem generis humani, ad  
quatuor hominum paria in arcâ servata, redacti Patriarchæ, etsi  
non æquarint primi mundi annos, aliquot tamen seculis vitam  
produxerunt, & paulatim usque ad reditum ex Ægypti ac ca-  
ptivitate pauci homines, quorum in Scripturâ fit mentio, an-  
num excefferunt centesimum. Nec dubium, quin decursu tem-  
porum ætates hominum redditæ fuerint contractiores, ac tem-  
pore Davidis (non Mosis, cum ille in Psalmo, quem Ebræi atten-  
dunt, non tam de suo dixerit tempore, quam spiritu prophetico  
vaticinatus fuerit de seculis futuris, præsertim autem illis, quibus  
David vixit) imminuti fuerint anni, ad septuaginta, vel si longis-  
simi sunt, octoginta annos. Et quamvis ille vitæ terminus in  
nonnullis hucusque continuetur, plures tamen sunt, qui eum  
non attingunt. Quare naturæ humanæ peritissimi videntur  
in eo convenire, ut circa annum quinquagesimum sextum  
aut sexagesimum hodie quæ senectus initium ducat; quia tunc  
corporis vires manifestè imminuuntur, calor naturalis tepescit  
& remissius agit. Hanc inchoatam dicimus Senectutem. Hanc  
Senectutem dicimus bonam, si fortis non tantum adhuc sit &  
vegeta; sed cum virtutibus etiam, & maximè cum pietate, con-  
iuncta. Non bona, sed misera est Senectus, quæ se oratione dun-  
taxat defendit. Non cani, non rugæ repente auctoritatè afferre  
possunt: sed honestè ac prudèter acta superior ætas fructus aucto-  
ritati præbet supremos. Qualis est hæc senectus bona? fortasse  
dicet aliquis; ad quam tantis molestiis per omnem vitam venit?  
Non juxta præsentem opinionem judicares, neque Senectutem  
bonam censes versari in luxu & in delitiis, & crapulâ & pos-  
sessione divitiarum. Sanè, qui in viâ virtutis ambulavit, hic verè  
conversus in SENECTUTE BONA vitâ defungitur. Judicium hoc  
est, AUDITORES, DE SENECTUTE BONA, non meum, sed Senis, a-  
pud profanos autores celeberrimi, calculo quoque Episcopi  
Constantinopolitani, & magni Ecclesiæ Doctoris, Johannis  
Chrysostomi, approbatum. Quam speciosum est canitiei judi-  
cium, & gloria præditis decore, cogitatio & consilium. Coro-  
na Senum experientia multiplex, eorumque gloriatio, reveren-  
tia Domini. Duo sunt, iudice Syracide, quæ Senes instar coro-  
næ ornant, & gloriâ afficiunt, peritia nempe per experientiam  
acqui



acqvisita, & huic conjunctus timor Dei, sine quo peritia illa no-  
xia esset, & ad malefaciendum promptior, cum illo verò perfe-  
ctum senectuti accedit ornamentum. Bonus & sanctus ille Se-  
nex, Paulus, qui, quæ in ætatem illam convenirent, melius quàm  
alius quisquam noverat, hæc in Senibus Christianis requirebat,  
volebatque eis denunciari, ut essent sobrii, venerandi, tempe-  
rantes, sani fide, charitate, tolerantia. Alexander Macedo, cujus  
sub initium statim meminimus, cum exercitum in expeditio-  
nem Persicam educeret, cupressinam Orphei statuam ad Libe-  
thram, fontem Musis in Magnesiâ sacrum, multo manasse sudo-  
re in vulgus notum est. Eo portento omnibus exterritis, & in-  
felicem inde eventum augurantibus, Aristander vates Regem  
bono esse animo jubet, & nihil ostendi aliud dicit, nisi ejus res  
gestas fore tantas, ut multum sudoris atque laboris decantanti-  
bus eas Poetis & Musicis essent præbituræ. Simile quiddam, Au-  
ditores, nobis contingere videmus; sive magnas ELECTORIS  
NOSTRI SERENISSIMI res gestas excutiamus, sive Senectutem  
ejus bonam contemplemur. Habent hîc, quod sudent Histori-  
ci, quod unguis arrodant Medici, quod æstuent Jurisperiti,  
quod fatigentur Theologi, Varias, easque heroicas & verè divi-  
nas ELECTORUM SAXONIÆ dotes de FRIDERICO I. BELLICOSO,  
FRIDERICO II. PLACIDO, ERNESTO RELIGIOSO, FRIDERICO III.  
SAPIENTI, JOHANNI OBIORANTE, JOHANNI FRIDERICO MAGNA-  
NIMO, MAURITIO MAGNO, AUGUSTO PIO, CHRISTIANO I. PRU-  
DENTI, CHRISTIANO II. LIBERALI, jure meritissimò rerum præ-  
teritarum Secretarii honorificè & graviter de prædicarunt. Sicuti  
autem ELECTOR NOSTER BENIGNISSIMUS Antecessoribus hisce  
suis in Electoratu Eminentissimis antevit annis; ita virtutibus,  
dignis quas non homines tantum, sed & ætheriæ mentes admi-  
rentur. Non in Senectute Ejus bonâ vires corporis imminutæ  
videntur & debilitatæ: nec animi functiones, quæ ad actiones  
suas indigent organis, & corporis temperamento, de vigore  
pristino aliquid remisisse. Unde doctissimi Medicorum habe-  
bunt, cur in posterum se corrigant, nec cujuslibet senectutis ini-  
tium ad annum vel quinquagesimum & sextum referant vel  
sexagesimum. Mentis namque divinas, divina, hoc est, sana,  
vegeta, & communem hominum cursum excedentia decet  
habere corpora. Species enim corporis est simulachrum men-  
tis, & figura probitatis, ac, ut author Panegyrici ad Theodosi-  
um addit, natura ipsa magnis mētibus domicilia digna metatur.

*Gratior est pulchro veniens è corpore virtus.*

Magnum putarunt Ægyptii Reges, si patris hic, matris ille, fra-  
trum



trum amans alius dicerentur. At quantulæ hæ partes sunt nominis PATRIS PATRIÆ Electoralis, quod non ista tantum, sed quicquid pulchrum, honestum, justum & magno Imperio dignum Juris Consultissimi judicant, ambitu suo complectitur? Nempe ut antè, sol exoriens præmittit fulgorè, qui cacumina montium illustret, uberioris lucis spe: ita splendescenti animo præfulget in superficie corporis decus ac robur spem afferens multò melioris. Quæ mens ELECTORIS OPTIMI MAXIME est melior, quò pluribus coruscat virtutibus, quas ex Gnomographo sacro antea diximus vigilantiam, gravitatem, temperantiam, sanam fidem, charitatem & tolerantiam. Sicuti fides omnium Christianarum virtutum fons est & origo, ita DEFENSOR ILLIUS FELICISSIMUS sanam eam imbibit, defendit, propagavit & ad extremum usque vitæ halitum se retenturum incorruptam non semel publicè testatus est. Cùm Deus voluerit sapientissimus, Ecclesiam esse in Republicâ, non Rempublicam in Ecclesiâ, quod appositè notavit Optatus Milevitanus; hoc etiam providè disposuit, ut ii, qui ab eo Rebus publicis præficiuntur, & in iis præsident, Ecclesiæ curam gerant, & de ejus propagatione, tuitione, & conservatione sint solliciti. Quem sanè sibi scopum proposuisse, par est credere, magnorum Dynastarum primarios, qui inter cæteros hoc nomine commendantur; quales fuerunt Constantinus Magnus & Carolus itidem Magnus, diversis temporibus Romanorum Imperatores; quorum ille devicto Licinio Tyranno, cùm Christianam Religionem palam esset amplexus, non solum curavit, ut Idololatriam eliminatam cultus Dei ubiq; instauraretur; sed etiam ut piis doctoribus undiquaque convocatis & evocatis, Scholis passim institutis, doctrina Christiana longè lateq; propagaretur. Hic autem, cùm Christianam fidem ubiq; disseminasset, aliquot Academias, tanquam nobilia tollendæ incitiæ, quæ in confusionibus præteritorum temporum invaluerat, & literarum studiis promovendis organa, erexit, & amplissimis decoravit privilegiis; quem postea plures alii, laudabili æmulatione sunt imitati; donec iterum barbaries ipsas Academias invasisset, ad quarum expurgationem & renovationem, novarumq; institutionem, alii postea Principes & Respublicæ opem suam & opes contulerunt, ad id à Deo inspirati; atque ita per instauracionem bonarum literarum, & veræ doctrinæ reformationem hominum animos præpararunt. Quæ verò erga Ecclesiam ejusq; tutelam cura magna Magnos istos duos Imperatores quàm maximè decuit; ea quoque de ELECTORE NOSTRO SENIORE ejusq; Antecessoribus laudatissimis jure meritoq;



meritoque potest deprædicari. Academiam hanc Lipsiensem  
solam appello testem quæ è Pragensi ob dissidium Germano-  
rum cum Bohemis enatum à FRIDERICO I. Electore Saxo-  
niæ omni laude superiore, fundata est & collecta. Quod verò  
eadem multis immunitatibus exornata, interq; varios bello-  
rum tumultus fuerit conservata, munificentia, & prudentia  
MAURITII, AUGUSTI, CHRISTIANI I, CHRISTIANI II,  
& successoris eorundem felicissimi, ELECTORIS NOSTRI  
SERENISSIMI, post Deum in solidum est adscribendum.  
Cum enim inter Electores Christianos inclaruerint, id sibi ne-  
gotii crediderunt præcipuè dari, ut quærent ante omnia re-  
gnum Dei & iustitiam ejus, quibus sciebant cætera adjicienda.  
De Theodosio Imperatore non sine insigni ejus laude memo-  
rat divus Ambrosius, illum, cum jam corpore solveretur, magis  
de statu Ecclesiarum, quàm de suis periculis fuisse anctum. E-  
LECTOR NOSTER SENIOR, ut nunquam corpore solvatur, sed im-  
mortalis semper revirescat, vota omnium non penitus malo-  
rum sunt ac suspiria humillima. Inter quæ tamen quæ in ELECTOR  
NOSTER SENIOR Nutricium rei litterariæ, præprimis Academia-  
rum, sese præbuerit benignissimum, nullum est dubium. Quod,  
me etiam tacente, loquuntur Comitæ hodierna universalia,  
juxtà ac particularia. Neminem vestrum. Auditores, later, De-  
um annò, qui est post millesimum quingentesimum decimus  
septimus, tribus Saxoniarum Principibus, FRIDERICO, IOHANNI, &  
IOHANNI FRIDERICO mediâ nocte, in festo Nativitatis Christi,  
Vinariæ crucem sanguinei coloris lucidissimam, in sudo & se-  
reno cælo conspiciendam, tanquam tesseram fidei à sordibus  
Pontificiis repurgandæ, exhibuisse. Nec omen hoc faustissimum  
suo caruit eventu. Eo namq; anno, impiâ Indulgentiarum nun-  
dinatione rejectâ, fides orthodoxa è tenebris Papisticis incepit  
emicare atq; emergere. Quæ cum Deus nihil præstantius ac ma-  
jus unquam contulerit in genus humanum, non mirum, cur  
contra omnes insidias hostiumq; machinas, salutem hominum,  
eain orbem eruperit universum. Quod scimus anno millesimo  
quingentesimo tricesimo contigisse, ubi fidei nostræ Evangeli-  
cæ forma, sive Confessio, in victissimo Romano Imperatori, Ca-  
rolo V. Austrio, à IOHANNE ELECTORE SAXONIÆ, incomparabi-  
li atq; excelsæ memoriæ Heroe, in Comitibus Augustanis exhibi-  
ta & publicè recitata fuit. Quia verò fides vera semper stat in vi-  
cta, & facile se per se ipsam defendit, totam postea se exeruit,  
cum sub Magno Saxoniarum Electore, MAURITIO, Palladium illud  
Germaniæ saluberrimum, Transactio videlicet, seu, Pacificatio



Pafsaviensis, erigeretur, cujus memoriam, annô decursô, non absq; interiori animi gaudio celebravimus. Ut autem nemo Vestrum, Auditores, ibi inficias, fidem sanam diuq; luctatam cum tenebris, tribus istis vicibus emerfisse, & suo splendore omnia collustrâsse atq; perfudisse; ita fidei ELECTORIS NOSTRI SENIORIS in Deum infucatae & constanti imputandum est, quôd sub fidissimâ ipsius tutelâ ac patrocinio recurrentes triplicis illius lubilæi Lutherani Natales intentius potuerimus observare, ac in eis uni Fidei Datori pro conservatione ejusdem debitas laudes ac gratias publicè reddere. Felix Republica, in quâ qui imperat Princeps, Deum timet. Felices nos, qui ad ELECTORIS NOSTRI CHRISTIANISSIMI, fidem infucatam nostrum erga Deum timorem possumus concipere. Est enim Principis vita speculum, in quo se contemplantur subditi, est exemplar, ad quod fidem conforment, norma est, secundum quam mores dirigant, ut non tam imperio ipsis sit opus, quàm exemplo. Solent autem pietatem comitari virtutes reliquæ, à quâ non magis divelli possunt, quàm umbra à corpore, quod in sole versatur. Illustre tradit nobilissimus autor Sodus, venerandæ antiquitatis exemplum, Abrahamum Patriarcham, hospitalitatis gloriâ celebratum, vix sibi felix faustumq; credidisse hospitium, nisi externum aliquem tanquam aliquod præsidium, domi excepisset hospitem, quem, ~~omni officio~~ prosequeretur genere. Aliquando cum hospitem domi non haberet, foris eum quæsiturus, campestris petiit, fortè virum quendam senectute gravem, itinere fessum, & sub arbore recumbentem conspicit; quem comiter exceptum domum hospitem deducit, & omni officio colit. Cum coenam appositam Abraham & familia ejus à precibus auspicaretur, senex manum ad cibum protēdit, nullo religionis aut pietatis auspicio usus. Quo viso Abrahamus eum ita affatur: Mi senex, vix decet canitiem tuam, sine præviâ Numinis veneratione cibum sumere. Ad quæ Senex: Ego ignicola sum, istiusmodi morum ignarus, nostri enim majores nullam talem me docuere pietatem. Ad quam vocem horescens Abrahamus, rem sibi cum ignicolâ profani & à suo Numinis cultu alieno esse, eum è vestigio à cœnâ remotum, ut sui consortii pestem & religionis hostem, domo ejicit: Sed ecce, summus Deus Abrahamum statim monet: Quid agis Abraham? Itane verò fecisse te decuit? Ego isti seni, quantumvis in me usq; ingrato, & vitam & victum centum amplius annos dedi, tu homini nec unam coenam dare, unumq; cum momentū, ferre potes? Quâ Divinâ voce monitus Abrahamus, se-

item



nem ex itinere revocatum domum duxit, tantis officiis, pietate  
& ratione coluit, ut suo exemplo ad veri Numinis cultum eum  
perduxerit. Divinam hanc erga dignos & indignos charitatem,  
laudatissimam hanc in egenos, exules, præsertim Senes, benigni-  
tatem si à SENIORE NOSTRO CLEMENTISSIMO eximie coli nega-  
rem, negarem profecto ita coli ulli. Nam quemadmodum  
coelestia sidera non tantum magnis mundi partibus se infundunt,  
sed ad singula animantia vim suam patiuntur descendere; ita  
SERENISSIMUM PATRIÆ SIDUS non contentum conservare Im-  
peratores, erigere Principes, sublevare subditos, exteris quoque e-  
genis & exulibus, in patriam male habitis, & præsidium voluit esse &  
solatium. Cum verò illa regina non ab omni quasi comitatu nu-  
da appareat, sed pedes quas habeat alias virtutes, patientiam,  
quoque in adversis, prudentiam in dubiis, & in utraque fortunam vi-  
gilantiam conspiciendam præbuit SENIOR NOSTER PATIENTIS-  
SIMUS, PRUDENTISSIMUS, VIGILANTISSIMUS. Inopem me verbo-  
rum facit rerum copia; nec in tam vasto pelago terram vel littus  
video. Nihil esse difficilius, quam imperare, Diocletianus etiam  
apud Vopiscum in Aureliano agnovit. Nec ab eo absentit Perli-  
ci illius monarchæ adeo celebratum apophthegma. Non fore  
quemquam, qui casu inventum humi jacens diadema sustollere  
dignaretur, si, quo pondere gestantem premat, intelligeret. Ac  
iste quidem Princeps, tamen si fortunam mundo imperiti vide-  
retur, suoque mortalibus arbitratu ac nutu secunda atque adversa  
distribuere, cum etiam penes hunc solum esse judicarent, altissi-  
mam omnes tranquillitate donare, liberè tamen atque ingenuè fate-  
tur, in toto isto terrarum orbe, cujus ipse imperium tenet, nihil  
præter ærumnas esse atque infortunia. Quid cæteros dicturos au-  
tumas, si ex animi sententiâ quærenti respondere volent? Ipse  
Carolus V. quem nostra ætas felicissimum omnium, qui multis  
retrò seculis vivere, judicavit, hic diris suas devovebit victorias,  
imperii propagatiões, triumphos, trophea, neque ipsum fateri pu-  
debit, plus se commodi comperisse in unius diei monastica soli-  
tudine, quam universis splendida vitæ triumphis. Sed ne Sacro-  
rum prorsus videamur dememinisse, Salomonis, Regum opti-  
mi maximi, inquiramus judicium, qui præterquam quod sin-  
gularibus quibusdam prærogativis, ac maximis opibus à Deo  
dotatus, & insularum reconditos thesauros, orbisque abditas di-  
vinitas perscrutatus esset, nos suo Ecclesiaste satis superque instru-  
it, post longam hujus mundi beatitatis inquisitionem, cunctaque  
feli-



felicitatis, quæ cumulatè Deus in eum effuderat, genera, nihil se demum præter vanitatem, laborem ac spiritus afflictionem invenisse. Quamvis verò ars regnandi in se sit difficillima; regiminetamen ELECTORIS NOSTRI SENIORIS difficultatem adauxerunt maximæ bellorum atq; densissimæ tenebræ, quibus id fuit implicatum. Quam verò tricennalem motuum bellicorum, tempestatem patienti quidem; attamen simul forti excepit animo. Magistratus namq; sint fortes & animosi, nec frangantur periculis & procellis, quibus concutiuntur imperia, ut verè hoc sint, quod dicuntur, strenui, generosi, magnifici, illustres. Nec patiètem tantùm & imperterritum animum in Principum maximis magni & invicti animi Heros, Martinus Lutherus, requisivit, sed prudentiam quoq;, quâ res maximè dubias possumus moderari. Ad Dei sapientissimi exemplum scilicet, qui omnia, etiam desperatissima, prudentissimè gubernat. Unde & Diis similimi, imò Dii ipsi Principes appellantur. Aurelius Victor Trajano Imperatori quatuor insignes virtutes tribuebat, sanctitatem domi, fortitudinem in armis, justitiam & prudentiam utrobique. Quæ virtutes licet singulæ imperatoriam ELECTORIS NOSTRI mentem quàm maximè ornent; prudentiam tamen ejusdem senilem promissi me præcipuè deprædicaturum. Prudens fuit, cum turbas, ob literas Majestaticas in Bohemia & Silesia ortas, sopiret. Prudens, cum Deo magis, quàm hominibus esse, obediendum, ostenderet. Prudens, cum oppressos populos, afflictos Principes sua autoritate relevaret, nec fortunæ nimium licere permetteret. Prudens, cum non cujusquam jus armis attentaret non veteres turbaret fines; sed in bello pacis gereret negotium, nec inciperet nisi hoc voto, ut quamprimùm desineret. Prudens simulq; vigilans, cum quieti publicæ & tranquillitati diu noctuq; invigilaret. Omnium somnos illius vigilantia defendit, omnium otium, illius labor, omnium delicias illius industria, omnium vacationem illius occupatio. Ac licet ista sint magna, & non nisi magnum ELECTORUM OPTIMI MAXIMI deceant animum; majus tamen aliquid ab Eo exigere audent Christianorum populi: Ut scilicet extinctis ubiq; armis, pax sua non imperiis tantùm, post faustissimum Comitiorum SS. Romani Imperii hodiernorum exitum, cõfirmetur, sed & Ecclesiis, Eo auctore, redeat ac conservetur, discatq; nostra ætas arbitrium subire ejus ætatis, quàm vera sinceraq; fide Christianam fuisse Christiani omnes profiteamur. Dignum hoc, ELECTOR AC SENIOR GRAVISSIME, Tua fide, dignum Tuis vir-

tuti-



tutibus, dignum Tuo fastigio, ad quod nemo Antecessorum,  
gravissimæ etiam & provec̄tæ ætatis, legitur pervenisse. Nihil  
enim verius ipsâ Dei voce, honorantes me honorabo. Notant  
ex veteribus nonnulli, in sacris literis nullius mentionem fieri  
laudatæ virtutis & sanctitatis viri, qui natalem suum celebra-  
vit; sed duorum tantum, aut ad summum trium impiorum Re-  
gum; sanctos verò potius ortum suum magnis lacrumis deplora-  
râsse. Sanè negandum non est, Auditores, tria Natalitia, quæ  
Auctores illi attingunt, in perniciem pientissimorum ab infide-  
libus Regibus fuisse exacta. Princeps pincernarum celebravit  
cum Rege suo Natalitium diem; sed beneficii à Josepho acce-  
pti, & promissionis suæ obliviscebatur. In Herodis Natali de ca-  
pite Iohannis Baptistæ luditur. Antiochus autem ille Epimanes  
cum amara Judæorum necessitate eundem observavit. Sed na-  
talitia ista sola esse, quorum Scriptura recordetur, mihi non pos-  
sum persuadere. Non impiorum tantum, sed etiam filiorum  
Dei, & puerorū à Salvatore ipso cōmendatorū, ac in program-  
mate ad præsentem Actum Panegyricum, publico adducto-  
rum, recurrentes natales solenniter fuerunt recepti. Crapulas,  
ebrietatem, scurrilitatem aliâque corruptissimi ac profligatissi-  
mi statûs signa Regibus impiis, eorumque ministris relinqvamus:  
imitemur nos gratiarum actionem pro Rege, pro principe jus-  
queregno vota humillima. Grandis namque est prudentiæ, aurū  
in luto quærere. Natalem tuum prosequamur nostris oratio-  
nibus, & tu nostri in tuis votis non obliviscaris, scribebat jam o-  
lim Ambrosius, Episcopus Mediolanensis, ad Felicem, Episco-  
pum Comensem. Natalem, quem hodieque ELECTOR NOSTER  
SERENISSIMUS AC NUTRITIUS BENIGNISSIMUS celebrat nonum,  
& sexagesimū, nos quoque prosequamur orationibus, prosequa-  
mur devotâ gratiarum actione, prosequamur votis humillimis.  
Neque enim ulla alia re ad benivolentiam invitare Deū magis pos-  
sumus, quàm si agnoscamus summa ejus in nos collata benefici-  
a, gratiasque agamus purâ mente, quod rogandi genus semper  
fuit efficacissimum. Augustus Cæsar, orbis pacati ac composi-  
ti dominus, gravissimarum præteritæ vitæ molestiarum pertæ-  
sus, vel in fimi hominis tranquillam securamque sortē, suæ, votō  
prætulit, beatamque illam horam judicavit, quæ trabeca ac diade-  
mate positus, ipsum ab immenso graviq; dignitatis onere expe-  
diret, faceretque cum infimæ conditionis hominibus tranquillè  
vivere. Quod votum augustissimum, sed quâdam cum fragilitate  
humanâ conjunctum, ita faciamus nostrum, ut ELECTORI NO-  
D STRO



STRÖ SENIÖRI, in solatium exantlatarum præteriti Regiminis molestiarum, precemur senectutem tranquillam, sed trabea ac diademate Electoralibus æviternum coruscantem. Consumat PRINCIPUM OPT: MAX: dies suos in bono, & annos suos in rebus amœnis. Deus Trinunus amet universam domum Saxoniam, illustrissimam, &, longitudine dierum satiet eam: efficiatq; ut fruatur salute suâ. Hoc quoq; adnotare non pigebit, quod quum in reliquis sacris, qui rem divinam facit, veteri instituto capite velato immolet, & adorantes vestem ad aures usq; attollant, & se humiliores exhibeant diis, vel ne quid inter sacrificandum triste auribus aut oculis accipiant. Saturno tamen sacra facientes velut veritatis cultori, capite aperto immolant & invelato. Honori quoque & Opi ex veteri instituto dum sacrum fit, semper aperto capite & sine velamento sunt. Apud aram quoque Herculis maximam, omnes aperto capite supplicare vetusto more servatum est: vel quia ipsius Dei, qui capite aperto est, habitum imitari non liceat: vel quod juris peritus Neapolitanus Alexander ab Alexandro, magis credit, ut ante Æneam, qui ritum veandi capitis invenit primus, aram maximam fuisse, vetustissimasq; illius ceremonias signarent. Magistratus summos non falso, sed verè, ob extrinsecam aliquam convenientiam cum Deo, cuius vicem visibilem in operibus regni potentia divina apud homines repræsentant, nomine Dei nuncupari, tam notum est, quàm quod notissimum. Cùm verò ELECTOR NOSTER DIVINUS antiquis sit moribus & fronte apertâ, ac eos, qui iisdem sese commendant, divinè complectatur: ideò majori cum devotione Natales ipsius divinos non possumus venerari, quàm si ad morem istum antiquum, fronte apertâ humillimaq; eos excipiamus, nec ulli subditorum affectu ac servitio erga PATREM PATRIÆ devotissimo concedamus, de quibus Eberhardus, Dux Wurtembergicus, gloriabatur, se in gremio cuiusvis tutum dormire posse. Inexpugnabile namq; munimentum amor civium. Id norunt fideles, teste Chrysostomo, quomodo diebus singulis manè & vesperi orationes fiant ad Dominum, quomodo pro omni mundo, & regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, obsecrationes ab Ecclesia fiant. Quare, Rector Magnifice, Comites Generosissimi, Patres Conscripti omni laude dignissimi, Nobilissimi ac Florentissimi Studiosi, Auditores Optimi, cùm Vos omnes ac singuli Orationi huic Academicæ interesse, Vestrisq; obsecrationibus & acclamationibus NATALEM SERENISSIMI ILLUSTRISSIMUM prosequi volueritis, pietatem Vestram erga De-



Deū, devotionem in ELECTOREM SENIOREM affectumq; erga me benevolum, ac meliori lapillo semper mihi notandum, abundantissimè declarastis. Dies hæc PATRI PATRIÆ SENIORI, CONIUGI ILLIUS ILLUSTRISSIMÆ, PRINCIPIBUS SERENISSIMIS, DOMUIQUE SAXONICÆ UNIVERSÆ, ac Academia huic inclutæ, quotannis illucescat felix, fausta ac fortunata. Gaudia hæc natalitia, gratulationes hæc publicæ continuâ prosperorum serie, perpetuisq; incrementis ad seros nepotes, & longè ventura seculatransmittantur. Non desitura, priusquam orbis desinat, & tunc in cœlum deterris & æternitatem ipsam transitura. DIXI.

AD

ORATIONEM ISTAM PANEGYRICAM  
PROGRAMMA INVITATORIVM  
DANIELIS HEINRICI, SS.  
THEOLOGICÆ DOCTORIS ET  
PROFESSORIS PUBLICI.

**H**Terum Dies Martij mensis quintus illuxit, faustissimus. Qui eò majori omnium non penitus malorum cum applausu excipiendus est, quò excellentiora nobiscum communicavit, ac hodieq; quod inenarrabili Dei solius bonitati ac clementiæ imputandum est, communicat benèdixit. NATHANIELI HANNO, & GEORGI PATRI PATRIÆ SENIORI, ELECTORI AC NUTRITIO ALMÆ HUIUS ACADEMIÆ CLEMENTISSIMO, illustrissimos, ac omni æternitate dignissimos. Geniales, præsertim Magnorum, cum lætitiâ & solemniter esse agendos, gentes etiam cœcæ agnoverunt. Quare vocarunt natales omnes dies propter aliquam lætitiâ insignem sibi solemnes. Et nimis esset longum, si ceremonias & sacrificiorum genera, quibus Antiqui recurrentes Natalium radios observarunt, vel obiter in animum inducerem recensere. Hinc enata sunt bona Tibulli verba: melior Persii lapillus: natalis apud Plautum cœna & concelebratio: ac ingens diei natalis paratus, & ante diem illum insolitus, cuius Tacitum scimus non dememinisse. Silentio nunc involvo natalitia in hortis data, quæ ex Cicerone notissima sunt; puerorum certè neminem latent. Propius ad rem præsentem accedit C. Plinius, qui Trajano Imperatori gratulabatur, ut illum tunc - *Natalem suum & plurimos alios quàm felicissimos ageret æternaq; laude florentem virtutis suæ gloriam aliis super alia operibus auget, incolumis & fortis.* Quia verò non Imperatoris ethnici, sed ELECTORIS CHRISTIANNISSIMI Natalia sunt celebranda, de Scripturis potius faciendamentio; ubi Natales, ab ipsis mundi incunabulis, dignis atq; solemnibus ceremoniis exactos Interpretes antiquissimi observant. Profecto, parens noster communis, Adamus, festum instituisse & observasse creditur diei natalis uniuscujusq; filiorū suorum: in quo singulis annis ipse pro filiis, & quisq; eorum pro se offerebant Deo sacrificia. Idq; justilitterarum antiquarum hæredes colligunt ex iis, quæ in libro generationum, non procul ab initio, legunt, verbis: *Adam verò cognovit uxorem suam Hevam: quæ concepit & peperit Cainum, dicens: possedi hominem JEHOVAM.* Rursumq; peperit fra-



*fratrē ejus Hebel, & fuit Hebel pastor ovium: Cain verò fuit agricola. Fuit autē post multos dies, ut adduceret Cain de fructu terrae oblationem ipsi JEHOVÆ. Hebel quoq; ipse etiam adduxit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum. Ubi Interpretum eruditissimi rectè & sapienter dies pro anno accipiunt, voluntq; singulis annis certò & statutò tēpore fratres istos munus suum ad certum locum, qui cultui divino publico destinatus esset, attulisse: ut ista annua solennitas, quā die natali ad colendum Deum publicè conveniebant, hāc locutione denotaretur. Atq; de die ejuscemodi natali non sine causa etiam intelligunt illam per ordinem uniuscujusq; diei sacrificiorum & conviviorum filiorum JOBI celebritatem, cū, sub initium ejusdem libri, dicitur: *Ibant autem filii ejus, & faciebant convivia in domo cujusq; die suo, mittebantq; & vocabant tres sorores suas, ut comederent & biberent secum.* Imò verba, quæ ibidem extant, & sunt hæc: *Quādam autem die venerunt filii DEI, ut adstarent coram JEHOVÆ, & venit etiam Satan in medio eorum,* non de Angelis, qui perpetuò in conspectu divino versantur, & Supremo, instar fervorum fidissimorum, ministrant, interpretantur, sed de hominibus, qui, ob pietatem & splendorem nominum in signem, filii DEI, fuerunt appellati, ac die quādam natali in loco sacratissimo coram DEO apparuerunt, cumq; pro more, oblationibus & sacrificiis celebrarunt. Quin illud, quod de *Elcana* legitur solito *ascendere de civitate sua statutis diebus,* hoc est, quotannis, ut adoraret & sacrificaret Domino, accipi, plerorumq; judicio, de singulis diebus natalitiis filiorum suorum, quorum festa celebrare solebat. Nec Patrum celeberrimi dubitant, unicum diei natalis, ut cæterorum, auctorem, JESUM CHRISTUM, idem gaudium natalitium attendisse, ubi effatus est: *mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus: cum autem peperit puerum, non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Gaudium idem natalitium in nobis dies excitet Martii mensis quintus hodiernus. Hic enim ille dies est, quo ante hos octo & sexaginta annos auspiciatissimo ortu PATER PATRIÆ SERENISSIMUS prodiit in lucem, & nunc, in Senectute bona & pace recuperata, nonum & sexagesimum agit natalem. Non est res parva, Principem suum salvum, incolumem, vigentem videre. Omnium autem maxima censenda, salvos, incolumes, & vigentes venerari Principum Canos, quos verissimè olim *Synesius* prudentiæ domicilium ac divinitatis templum salutabat. Cumq; illos in ELECTORE NOSTRO SERENISSIMO iugemur, & humillimi exosculemur, quanta nos spes fiduciaque salutis incolumitatis & vigentiæ publicæ ad ejus salutem, incolumitatem & vigorem senili manere potest. Hic enim ille Princeps est, quo nemo vetustiores in SS. Romano Imperio administrat partes. Hic ille Elector est, qui in negotiis Ecclesiæ & Reipublicæ maximis ac difficillimis sic onē exercuit ætatē, ut nullis a tecessorū majoribus pluribusq; experimentis instructus ac eruditus videri queat. Non enim in seram ætatem differendum, quod omnem ætatem decet, & ab omni debetur. Ita fiet, ut quas nos nunc regulas ex libris petimus, in posterum ex actionibus ELECTORIS NOSTRI SENIORIS principibus, tanquam ex perfectissimo exemplari petantur. In magnis, ipse conatus laudabilis est, & sapius sufficit, vel voluisse. Nec videtur astimare munera, qui magnitudinem, non voluntatem dantis respiciat. Quare pietatis, officio & humillimæ meæ devotioni convenire putavi, si magnum ELECTORIS OPTIMI MAXIMI Natalem omnibus bonis crastina die iam memoriam revocarem. Religio illa pagana apparatus sacrificiorum constet, ludorumq; pompis, & splendore conviviorum ac luxu gaudeat. Nos vacuum tantum superstitione affectum imitemur ac devotissimum. Amorem enim ac reverentiam non species externa, & quicquid oculos auresq; tenet; sed affectio animi & motus absolvit interior. Præprimis autem ad Regum Regem, cui soli sacrificia debentur, preces nostras calidissimas, tanquam tuta odoratissima, viros illos pientissimos imitati, offeramus, ut sub ELECTORIS NOSTRI SENIORIS benignissima tutela ac patrociniò in pace semper vivamus & senescamus. Senex namq; in domo, bonum signum in domo, secundum illud *Ben. Syrae* antiquissimum. Vos verò, *Rektor Magnifice, Comites Generosissimi, Patres Academicici ac Senatorii, Studiosi Nobilissimi ac florentissimi,* & quicumq; à salute propria non estis alieni, non obscure pietatem vestram erga Deum, & in Electorem devotionem ostendetis, si frequentes isti natalitiæ panegyri interesse, ac ea, quæ de PRINCIPIS ELECTORIS OPTIMI MAXIMI SENECTUTE BONA, crastinā dominicā, finitis sacris, in Auditorio Collegii Principum Majoris dicentur, cum auscultatione diligenti, tum piis votis & interiore animi læticia prosequi volueritis. Quod prius quam faciatis, in sacratio Templi Nicolaitani ut conveniatis, officiosè, & peramanter rogo. P. P. LIPSIAE, DIE V. MARTII. ANNO RECUPERATÆ SALUTIS, M. DC. LIII*



ienst recht  
cht in euz  
ren fassen  
chuldigste  
aber wols  
hret / als  
eigen las  
hus vund  
e bringen  
s Zeichen  
zwischen/  
nd hohen  
d wie viel  
/ werdet  
orsam ers  
rsammlung  
des Sons  
higem Als  
t weniger  
Herzens  
Bevor  
nit / in der  
n und eine  
ag des  
See

Pon Vd 3524, FK

ULB Halle  
004 754 107

3



A  
H.

V377









tempestati adolescens adhuc occurrere ausus, tanquam salutare Ca-  
 storum sidus periclitanti adfulsit Patriæ. Hic ille Princeps est, qui quas-  
 fatam Ecclesiæ & Reipublicæ navem singulari fortitudinis ac pruden-  
 tiæ exemplo non semel servavit. Hic ille Princeps est, qui sua sceptris  
 Imperatoribus, pacem ac securitatem &  
 reddidit & con- ere attollunt pressæ ha-  
 stenus leges cap- tus & orthodoxa reli-  
 gio vigent, ipsaq- dita juventute, revire-  
 scit. Quare, At- IUS ELECTORIS OPTI-  
 MI MAXIMI Senec- quentes conveneritis,  
 rem fecistis non etiam ipsius legibus  
 convenientissim- justa visa est, ut etiam  
 apud Gentes, qua- obtinuerit, ut Senes  
 ob ætatem essent- is Sanctus feritati in-  
 hoste, quod faci- vulsæque politiæ, &  
 ordinis turbati ar- od superbiret puer in-  
 senem, ut vilis in h- donem, cognomen-  
 to Magnum, accep- à Lyfippo fingi volu-  
 isse: quod obscuri- oris sibi plus, quam  
 gloriæ, ad laturam- torum tam rigidæ sit  
 censuræ, ut nemin- m solummodò ELE-  
 CTORIS NOSTRI S- nam admittat, præter  
 SENIOREM IPSUM I- mo. Qui enim stylo  
 eum representat, u- ipsum, qualis ipse  
 est, & ut diutissime- omnino periculum  
 faciendum sit, isti su- mediæ ætatis viri vi-  
 deantur pares. Ce- uo tempore doctis-  
 simi, de omni ætate- senum debere esse  
 iudicium; eorum qu- im, quiqve animis  
 quoque senuerint. us sapientissimum  
 Autoris libri Sapien- a est senectus atqve  
 numero annorum n- inibus est canities,  
 & vita immaculata- NA ELECTORIS IL-  
 LIUS SENIORIS, DOM- NISSIMI, ita consti-  
 tui differere, non ut- sed devotionem  
 tantum erga PATREM- mecum, Auditores,  
 habetis communem, r- iusquam expedi-  
 am, id polliceor me d- mos tædia subire  
 possint, neve, dum bre- , aut perplexus.  
 Queam admodum en- minoris præstantia tantò major, quanto  
 minore massa, plus valoris continet: sic orationis illius vis, & acumen  
 majus est, quæ plurima paucis significat.

